



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XII. De Scrutinio in Ordine faciendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

natus jus ad beneficium & alimenta pendenda, ex canone sibi competens, ordinatori remittat pro sacra ordinationis consecutione: quod jus cum pretio aestimabile sit, ejus cessio & obligationis ad conferendum sibi beneficium vel præstanda alimenta remissio pro sacra ordinatione

simoniae labe est infecta, c. *fin. de Pallio* & c. *Super eo 7. de Transact.* & c. *Si quis ordinaverit cit. junctâ Rubricâ de Simonia*, Suarez *cit. disp. 31. s. 4. n. 27.* & de *Simonia cap. 56. n. 13.* & Pirthing *ad Rubric. de Simonia n. 159.*



TITVLVS XII.

De Scrutinio in Ordine faciendo.

SUMMARIUM.

1. Scrutinii usus in Baptismo & Ordine.
2. In hoc primò sit integrò mense:
3. Secundò aliquot diebus ante Ordinationem:
4. In quo in Ordinandi genus.
5. Personam, aetatem, institutionem,
6. Vitam morèsque,
7. Doctrinam,
8. Et Fidem inquisitio fit.
9. Tertio in ipsa Ordinatione:
10. In qua dignus dicitur, cujus defectus nequit probari.

1. Scrutinium, à *Scrutando* sic dictum, duobus Sacramentis præmitti ab Ecclesia consuevit: & imprimis quidem Baptismo, c. *Hic qua 11. de Majorit. & Obed. & c. Cum dilectus 2. de Capell. Monach.* ad quem priusquam admitterentur, Catechumeni in Scrutiniis, per Quadragesimam institui solitis, ab eo, qui Ecclesiae præerat, examinabantur, Gonzalez *in c. Hic qua cit. n. 4.* Deinde Ordini, c. *Unicò hic:* cui præmitti solitum Scrutinium aliud non est, quàm exa-

men, sive, inquisitio de ordinandorum dignitate, Ordinationi præmittenda ab eo, ad quem spectat, *can. Nullus 2. cap. Quando 5. dist. 24. & c. cit.* Præscriptum autem à Jure est Scrutinium sive examen triplex.

Primum, ex commissione Episcopi, 2. à parochò vel alio delegato faciendum, ex decreto S. Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 5. de Reformat.* exposcentis, ut *Ad minores Ordines promovendi bonum à parochò & à magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant.* Hi verò, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante Ordinationem Episcopum adeant, qui parochò vel alteri committat, ut nominibus & desiderio eorum, qui volunt promoveri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus & vita à fide dignis diligenter inquirat: & literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quàm primùm transmitat: cujus Decreti saluberrima dispositio usu non ubique est recepta. Germaniæ etiam nostræ plurimum Diocesium Ordinarii istius Scrutinii locò

nii locò vitæ morumque & doctrinæ, à sacrarum præsertim Literarum Professoribus obtenta vitæ morumque testimonia recipiunt: quæ, sicut magnâ fide & Ecclesiastici Ordinis potius, quàm ad hunc & sacros Ordines aspirantium ratione habitâ, dari omnino oportet, ita non patientia, sed clausa obleratâque expedit esse.

3. Alterum Feriâ quartâ ante ipsam Ordinationem, vel aliâ die opportunâ coram ipso Episcopo aliisque sacerdotibus & prudentibus Divinæque Legis & Ecclesiasticarum sanctionum peritis viris instituendum, secundum sanctiones Ecclesiasticas antiquas, *can. Nullus cit. can. Presbyteri &c. dist. cit.* & illorum vestigiis inhaerentis ejusdem S. Synodi præceptum; *Ut omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feriâ quartâ ante ipsam Ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem Episcopalem sive locum Ordinationis celebrande evocentur. Episcopus autem, sacerdotibus & aliis prudentibus viris, peritâ Divinæ Legis & in Ecclesiasticis sanctionibus exercitiis sibi ascitis, Ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam & fidem diligenter investiget & examinet, sess. cit. cap. 7. de Ref.* cujus præcepti Conciliaris articulos omnes ut impleat, Episcopus in secundo hoc Scrutinio sive Ordinationi præviò examine, diligenter inquirere debet in Ordinandi.

4. Primò, *Genus*, hoc est, an ex Christianis, liberis & legitimo thoro conjunctis parentibus, & quò locò sit natus ac baptizatus: quæ per literas sive publicum testimonium Magistratûs loci, in quo Ordinandus est natus, & aliquando per testimonium parochi ex libro Parochiali, horam aut saltem diem, quâ: parentes, ex quibus natus: Ecclesiam, in qua: parinos, quibus eum levantibus, est bapti-

zatus, probanda docet partim magister usus: partim Mascardus de *Probat. conclus. 1088. n. 7.* Aliubi in Germania nostrâ, sicut de Baptismo parochi, sic de justis natalibus publici Magistratûs testimonium exigitur: cum verò istud propter incursum hostium aut alios casus haberi nequit, probationem per testes aut firmam publicam admitti posse, rectè notat Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 4.*

Secundò, in *Personam*, an ligata censurâ vel irregularitate aliquâ sit impedienda. Qua de re, si aliunde non constet, standum est assertionem ordinandi, se is immunem esse, asserentis: qui in dubio deliquisse aut defectu aliquo laborare non præsumitur, *arg. c. fin. de Presump. l. Merito 51. ff. Pro socio & c. Episcopus 2. de R. J. Pirrhing cit. n. 4. in fine.*

Tertiò, in *Aetatem*: cujus ad eum, quem petit, Ordinem sufficientia probari ab ordinando debet, *Glossa in can. Presbyter 3. V. Eodem dist. 78. &c.* licet justis natalibus, publici Magistratûs vel Parochi testimonio, Pirrhing *cit. n. 4.* Illi autem deficiente, per alios testes, cum certò annò natum, baptizatum, asserentis & his etiam deficientibus, per præsumptionem ex habitu & externa constitutione corporis probari potest, *Mench. de Arbitr. casu 117. n. 2. & Pacianus de Probat. lib. 2. cap. 24. à n. 64.*

Quartò, in *Institutionem* sive Titulum, ut cum *Glossa in can. Quando cit. V. Institutionem* notat Barbola *in can. cit. n. 6.* probandum per patrimonii vel possessionis constitutæ instrumentum, aut literas actu & pacificè possessi beneficii, vel Religiosæ professionis testes, aut ipsam facti evidentiam seu notorietatem, *Pirrhing l. cit.*

Quintò, in *ejus Viram & Mores*, quòrum, licet integritas & honestas, præsertim interna, præsumatur, *c. fin. de Presump. cit.*

sumpt. externæ tamen probatio & bonæ conversationis testimonium quandoque exigitur, Felinus in *c. cit. d. n. 12.* & præcipue in promovendo ad Ordines: de quo, si Religiosus, per proprii prælati vel superioris Regularis: si alicujus Ecclesiæ servitio addictus, illius Decani, parochi vel alterius Rectoris: si in Academia, Gymnasio, vel alia Schola studiorum causâ verfat⁹ est, per illius Rectoris, Præfecti, aut Professoris, & aliquando Notarii literas Testimoniales fides est faciendâ, Idem *l. cit.*

7. Sextò in *Doctrinam*: quæ, cum homini à natura non inest, non præsumitur, sed probanda est, Felinus in *c. cit. n. 2.* & Mascardus de *Probat. conclus. 1074. n. 18.* non per famam aut testes: sed per actuale examen ipsius ordinandi: etiã si iste sit Religiosus, ex decreto Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 12. de Reformat.* exclusis quibuscunque privilegiis, etiã Regulares sine diligenti examine ordinari prohibentis: quod de Doctrinæ examine intelligit Barbosa de *Offic. Episc. alleg. 20. n. 17.* Qua in re tamen Rodriquez *Tom. 1. Regul. q. 24. art. 7.* duo observat. Primum est, in Religiosis Ordinandis non tantam, quantam in clericis secularibus exigi, cum; quòd regulariter non ordinentur ad curam animarum: tum verò; quòd ad hanc etiã exercendam necessariæ scientiæ comparandæ cura propter meditationum lectionumque spiritualium assiduitatem in ipsis major sit, ejusque defectus non tantum puritate vitæ & exemplis, sed prælatorum aliorumque doctorum virorum, quibuscum assiduo vivunt, instructione correctioneque multò facilius quam in clerico seculari (ut inam semper!) suppleatur. Alterum; quòd Episcopi, saltem ubi ordinandos examinant per alios, Regularium examen propriis illorum prælati committere:

&, sicut quoad clericos seculares, sic etiã quoad ipsos hujusmodi prælatorum eos examinantium testimonio acquiescere possint: quemadmodum acquiescere & haud gravatè deferre passim solent Privilegio Apostolico, vi cuius Societatis JESU Religiosi, qui à Præposito Generali istiusque delegatis Provincialibus Ordines suscipiendi licentiam obtinent, ab inquisitione sive Examine de cantu, officiis, & ceremoniis Ecclesiasticis & aliis requisitis &c. exempti sunt à Gregorio XIII. *Constit. quæ incipit Pium ac utile, edità 22. Septemb. 1582.* cujus exemptionis Privilegium à Sixto V. *Constit. quæ incipit Sanctum,* contra clericos malè promotos *edità Nonis Januarii 1588.* revocatum, ex ejus tenore non colligitur: & si revocatum fuisset, luculenter innovatum esset à Paulo V. omnia & singula Privilegia, facultates, exemptiones, gratias & indulta à Prædecessoribus suis Societati concessa perpetuò confirmantis, & de novo concedentis *Constitut. quæ incipit Quantum, edità pridie Nonas Septembr. 1606.* Tiberius *Instruēt. Ordinand. quest. 58. §. 6.*

8. Septimò denique in *Fidem*, an ordinandi parentes Catholici, & talis ipse sit: vel, an ad Ecclesiæ gremium ab hæresi reductus, & in Fide Catholica fatis sit confirmatus: quod eorum, qui de ejus genere, vita & moribus fidem fecerunt, testimonio probari potest.

9. Tertium Scrutinium peragitur in ipso actu Ordinationis: sub cujus initium olim Archidiaconus, hodie fermè Episcopi Sacellanus vel Diaconus, illi assistens & ordinandos præsentans, publicè & clarâ voce, *Postulat,* inquit, *Sancta Mater Ecclesia, vos Diaconos vel subdiaconos fieri,* & Episcopo ordinante interrogandò reponente: *Si eos cognoverit esse dignos,* responderet, *Quantum humana fragili-*

N n n

fragilitate nosse finit & scit, se reficari eos esse dignos, c. Unico hic. ex quo

10.

Dubium & quaestio oritur, quid agendum Archidiacono, scienti occultum defectum alicujus ex ordinandis. Cujus praeter aliis placet resolutio, quam in *c. cit.* cum Innocentio & Joan. Andr. *n. 10.* dat Laiman. *n. 4.* asserens, eum, si neque ipsum privatim admonitum ab Ordinatione recessurum: neque, si superiori denuntietur, propter defectum probationis ab ea removendum, sperare rationabiliter possit, optimè sibi consulturum, praesep-

tantis officium pro ea vice declinandum. Si verò hoc nequeat, verba in Pontificali praescripta proferre posse, veritate & conscientia salvà; cum enim illa, ut publica non ut privata persona, & secundum publicam & ex praeviiis Scrutiniis sive examinationibus acceptam notitiam proferat, hoc ipsum quòd defectus ita sit occultus, ut praevii etiam accuratà scrutatione non poterit apprehendi, & ab ipso etiam Archidiacono probari, ejusve probatio haberi nequeat, inspectatà publicà & probatà scientia non est indignus.



TITVLVS XIII.

De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu, vel ab Excommunicato.

SUMMARIUM.

1. Ordinis Minister Ordinarius est Episcopus.
2. Respectu diaconorum, etiam Regularium.
3. Alienos ordinans suspenditur per annum.
4. Licet id faciat sub spe ratihabitionis.
5. Censuratus &c. Ordines illicitè.
6. Sed validè confert.
7. Non tamen tribuit Ordinum executionem.
8. Extraordinarium Minister potest esse Sacerdos.
9. Minores subditis suis Cardinales Presbyteri,
10. Et Abbates conferunt.
11. Subditis suis Regularium.
12. Non etiam Novitiis,
13. Aut subditis secularibus.
14. Simpliciter sacerdoti committi non collatio Presbyteratus.
15. Sed Sub - & Diaconatus.
16. Qua concessa fuit Abbatibus Collegiatis.

Occasione Rubricæ istà propositæ Ordinationis ab Episcopo excommunicato, eoque, qui Episcopatu renuntiavit, peractæ, quis Sacramenti Ordinis Minister sit, discutere juvabit. Et Ordinarium quidem ejus ministerium